

Lib. XIII. Tit. I.

De Conditione furtiva.

§. 1. *Conditio furtiva* est, qua rem furto ablatam à fure vel ejus herede repetimus. Ejus

§. 2. (2.) *Fundamentum* est *furtum*, tanquam delictum verum. Actio verò non est pœnalis, ut actio furti, sed rei persecutoria.

§. 3. (2) *Subiectum relativum*: Cui?

Datur soli *Domino*, & qui similis, b. f. *possessori*, & heredibus, *Conditio Certi* ipsius nempe rei furtivæ.

Sed is qui jus in re habet v. g. *pignus*, si auferatur, *Conditio incerti* utitur ad interesse, præter actionem furti pœnalem: & quicquid ex utraque consequitur, debito imputare debet.

Non datur *Commodatario*, *Depositario*, *Conductori* & *Usufructuario* quoad pendentes fructus ablatos: sufficit enim his actio furti.

§. 4. (3) *Subiectum correlativum*: Contra quem?

Datur contra furem, raptorem, prædonem, adjuvantem facto: ejusque heredem, etiam infantem, furiosum.

Et quidem datur in solidum (quia fur semper facit moram quâ perpetuatur obligatio etiam in heredes) licet res statim perierit.

Si plures, omnes tenentur in solidum, unus tamen reliquos liberat.